

alii priori creditori : v. g. debitor conduxit domum ab aliquo, qui eandem prius ab alio conduxerat; tunc enim ipso jure liberatur debitor, solvendo creditori creditoris, uti citati habent doctores arg. l. XXXVI. ff. de Negot. gest. et l. XI. § 5. de Pignorat. act.

## § II

DE EO, QUOD SOLVI, MODOQUE, QUO DEBITUM SOLVI DEBET, UBI ETIAM DE COMPENSATIONE OCCULTA

27. *Solvi debet id ipsum in specie, quod debetur.* — Quæritur I. Quid solvi debeat? Resp. I. Id ipsum, quod in specie debetur. Ratio est, « quia, ut ait I. C. Paulus, l. II. § 1. ff. de Rebus credit. aliud pro alio, invito creditori, solvi non potest. » Unde non satisfacit debitor, si invito creditori rem aliquam æque bonam vel pretium speciei debitæ solvat; cum sæpe specialis affectio sit ad aliquam rem in specie, aliudque sit pretium, aliud res. l. I. ff. de Rerum permut. et l. Tantum. 88. ff. de Verb. signif. Hinc etiam non liberatur ab obligatione debitor, si pro pecuniis dat, vel dare vult equum, agrum etc. tantundem valentem. Nam præter allegatam juris rationem hujusmodi solutio haberet speciem emptionis; emere autem invitus, et vendere regulariter nemo tenetur. l. Invitum 41. c. de Contrahend. emp.

28. *Non tamen tenetur debitor debitas pecunias in eadem specie monetæ, qua accepit solvere, nisi ita conventum sit, aut alias creditor damnnum pateretur.* — Resp. II. Priore conclusione haud obstante, non tenetur debitor pecunias debitas, in eadem, qua accepit, specie solvere, sed satisfacit, in alia quacunque demum specie dummodo præba, v. g. pro imperialibus sibi mutuo datis, florenos, etc. solvat; nisi expresse sit conventum, ut in eadem specie monetæ solutio fiat, l. Quæ extrinsecus. 65. § 1. ff. de V. O. Aut nisi ex solutione in diversa specie monetæ damnnum pateretur creditor, arg. l. XCIX. h. t. Ratio conclusionis est, quia pecunia in genere suo regulariter mutuoam functionem recipit, et ratione proportionati valoris, nummi sunt ejusdem generis; nec in solutione tam speciei, quam valor ejusdem attenditur. Hinc l. I. § 1. ac Titul. 35. ff. de Auro et argento, statuitur, quod si aurum legatur, satisfacere hæredem, si vel aurum, vel pretium auri in specie monetæ præstet; si non certum

genus aurei (v. g. aliquid certi extraordinarii valoris, aurei,) legatum sit, cit. l. I. ad finem ff. de Auro et arg.

29. *Controversia de casu mutatae monetæ. Mutatio monetæ alia intrinseca, alia extrinseca.* — Occasione præcedentis conclusionis occurrit celebris inter doctores controversia examinanda. Quid juris nempe, qualiter et in qua specie monetæ a debitore solutio præstanda? Item ad quem, debitorem nempe, an creditorem, damnnum vel lucrum pertineat, casu quo valor monetæ, principis dispositione mutetur? Ubi prius notandum, duplicem esse, et fieri posse mutationem monetæ, « intrinsecam, » et « extrinsecam. » Intrinseca est, quando ipsa materia monetæ mutatur, ita ut eidem in pondere, vel detrahatur, vel deterior materia admisceatur; v. g. semicuprei quendenarii cudantur, etc., Extrinseca vero est, si manente eadem bonitate materiæ, valor et æstimatio extrinseca mutetur, ita ut thalerus prius duobus florenis constans, principis dispositione quatuor vel quinque florenis valeat. Layman, lib. III. tr. III. p. 1, c. v, n. 10; Engel, h. t. n. 13. et communis doctorum. Hoc supposito.

30. *Si fit intrinseca monetæ mutatio, debet fieri solutio juxta bonitatem intrinsecam monetæ tempore contractus, mutuo v. g. datæ.* — Resp. III. Si moneta mutata est intrinsece, inspiciendum est tempus contractus, et solutio præstanda in illa bonitate, ac valore monetæ, quam tempore contractus habuit, ita ut vel eandem speciem monetæ, vel, si hanc non habet, novam deteriorem usque ad valorem tamen et æstimationem monetæ habitæ tempore contractus solvat. Ita Gailus, lib. II. observ. 73, n. 3, ac 6. Abbas, in c. Olim causam. 20. de Censibus; Layman, loc. cit. n. 19; Filliucius, tract. XXXV. p. 2. n. 40; Covarruvias, de Collat. veter. nummis. cap. VII. § unico. n. 2; Engel, h. t., n. 13, et communissima aliorum arg. Olim causam. 20. de Censibus. et l. Cum quid. 3. ff. de Rebus creditis. Ratio principalis, quia justitia commutativa exigat, ut in omni debito tantundem in ea specie, seu genere, et qualitate solvatur, sicuti in obligationem fuit deductum; consequenter si ante viginti annos centum de bona materia cusos thaleros mutuos accepisti, vel eisdem agrum credito emisti; similibus thaleris, vel certæ alia monetæ specie secundum valorem et æstimationem intrinsecam eisdem æquivalente solutionem præstare teneris, neque satisfacis,

## § II. DE EO, QUOD SOLVI, MODOQUE, QUO DEBITUM SOLVI DEBET, ETC. 339

solvendo in nova moneta secundum valorem intrinsecum deteriori; licet secundum æstimationem exteriorem per dispositionem principis idem valente.

31. *Etiam si id specialiter in pactum non deducatur.* — Sicut e contra si contingat, post contractam obligationem in substantia, et materia meliorem monetam cudi, non teneris in ejusmodi moneta juxta valorem intrinsecum meliorem solvere, sed potes in antiqua, tempore contractus, currente, vel secundum æstimationem ejus solutionem præstare. Layman, loc. cit. et alii. Nec refert, quod aliquid specialiter in pactum deductum non sit; quia uti dicitur l. Cum quid. 3. ff. de Rebus credit. « Cum quid mutuam dedimus, etsi non cavimus, ut æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere. » Ratio ibidem dicitur: « Nam in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum est; id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, et eadem bonitate solvatur, qua datum sit. »

32. *Si tempore contractus specialiter conventum est, ut in eadem specie a numero monetæ solutio fiat, ac interea mutatio monetæ contingat, damnnum et lucrum pertinet ad creditorem.* — Resp. IV. Si tempore contractus specialiter deductum est in pactum, ut in certa specie ac numero monetæ sub tempore debitum solvatur, et interea mutatio extrinseca monetæ fiat, damnnum, vel lucrum creditoris erit, ita ut tot thaleros v. g. solvere debeat, quos in pactum venerunt, sive valor eorum extrinsece auctus, sive diminutus fuerit: v. g. Si credito vineam emisti centum aureis in specie ac numero solvendis; vel mutuo mille thaleros hoc pacto accepisti, ut solutio in specie et numero ejusdem monetæ fiat, omnino teneris pro empto agro centum aureos in specie et numero, ac pro mutuo accepto, mille thaleros in specie et numero solvere. Covarruvias, de Collat. veter. nummis, cap. VII. § un., concl. 1; Abbas, in c. Quanto. 18. n. 15. de Jurejur.; Layman, loc. cit. n. 12. eoque ac Covarruvia teste, communis aliorum arg. l. Quæ extrinsecus, 65. ff. de V. O. ac l. penult. § Mancipia. 3. ff. Solutio matrimonio. Ratio est, quia « contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, » reg. 85. jur. in 6. « Nec aliud pro alio, invito creditori solvi potest. » L. II. § 1. ff. de Rebus credit.

33. *Nisi augmentum, vel diminutio nimia*

esset. — Limitat non immerito conclusionem Engel, h. t. n. 13. in casu, quo augmentum, vel diminutio monetæ est nimis gravis; præsertim si ultra duplum fiat; tunc enim ait, quod quamvis creditor ob pactum factum, ac susceptum periculum lucri, vel damni, aliquid petere possit, id tamen fieri debeat cum moderatione prudentis judicis. Ratio est, tum quia judicis arbitrium in causis, in quibus interesse prætenditur, requirit legislator l. unic. c. de Sententiis, « quæ pro eo, » ubi etiam statuitur hoc, « quod interest duplici quantitate minime excedere; » tum quia verba contrahentium ad casus insolitos, de quibus tempore contractus verisimiliter cogitatum non fuit, cum rigore extendi non debent, l. Continuus. 137. §. Cum quis. 6 ff. de V. O.

34. *In casu quo species eadem monetæ conventæ haberi non posset, solutio fieri debet in alia specie ejusdem valoris.* — Casu quo tamen species monetæ in pactum deductæ omnino periisset, aut reprobata esset, aut alia ratione haberi non posset, tunc solutio fieri potest, ac debet in alia moneta ejusdem æstimationis, arg. c. Olim. 20. de Censibus: Glossa, fin. in c. Olim. 20. de Censib. et ibi n. 4; Layman, loc. cit.; Gailus, lib. II. observ. 73. n. 7, dicens esse communem omnium.

35. *Si tempore contractus nec de specie, nec de numero monetæ aliquid conventum est, solutio fit in moneta tunc currente, sive extrinsece, sive intrinsece diminuta.* — Resp. V. Si nec certa species, nec numerus certus monetæ in pactum fuit deductus, sed præcise conventum est de quantitate, v. g. ut centum floreni pro centum mutuo acceptis, vel agro empto, etc., solverentur, et postea contingat extrinseca monetæ mutatio, potest et tenetur debitor in specie monetæ tunc currente, sivo sit aucta, sive diminuta, solvere, pertinetque lucrum, vel damnnum ad ipsum, ita ut tanto pauciores nummos, vel corpora monetæ obligetur solvere, quanto magis valor eorum est auctus: vel tanto plures, quanto magis valor eorundem extrinsecus est diminutus. Covarruvias, loc. cit. § un. n. 3. ad finem. ac concl. 10; Abbas, in c. Quanto. 18. n. 2, de Jurejur.; Hostiensis, in idem; Mynsinger, cent. 4. observ. 1; Layman, loc. cit. n. 15; Engel, h. t. n. 14. ac alii. Et quamvis conclusio ex jure per textum aliquem sufficienter probari nequeat; satis tamen probata manet per consuetudi-

nem universalem saltem Romani imperii, juxta quam aucta extrinsece moneta, debita solvuntur minore numero corporum monetæ, ipso Ferdinando I, anno 1559, in comitiis Augustanis id approbante, ac concedente, ut debitores florenis rhenanis tribus crucigeris extrinsece tunc auctis in eodem valore solvere debita sua potuerint. Ita de facto Ferdinandi, et consuetudine imperii testatur Layman, loc. cit. « De quibus vero causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus, et consuetudine inductum est. » l. *De quibus*. 32. prin. ff. *de Legib. et long. consuetud.* Concordat, lib. XXXIII.

36. *Idem est, si convenitur quidem, ut in certa specie moneta fiat solutio, sed de certo numero nulla fiat mentio.* — Procedit conclusio etiam in casu, quo quidem conventum est, ut in certa specie monetæ, sed non in certo numero corporum ejusdem speciei solveretur: v. g. Siquidem dicat creditor: Mutuo tibi trado hos centum aureos hac conditione, ut in aureis iterum solvas; sed non exprimat, ut centum hujusmodi aureos in specie solvat secundum valorem extrinsecum tempore contractus currentem. Ita doctores n. præced. citati, id probantes tum ex consuetudine allegata, tum etiam ratione; quia nempe auctio ac diminutio monetæ ideo fit, ut secundum eam solutiones debitorum fiant; consequenter si aliud in pactum specialiter non deducitur, eidem debitores juste se accommodant: præsertim cum ipsi ante solutionem sint suarum pecuniarum domini ad quos regulariter commodum et periculum rei spectat. Accedit, quod in dubio bene fieri possit interpretatio contra creditorem; nam « in stipulationibus, cum quæritur, quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt: » l. *Stipulatio*. 38. § *In stipulationibus*. 18. ff. *de V. O.* « quia stipulatori liberum fuit verba late concipere, » id est, clare exprimere l. *Quidquid*. 99. ff. eod. ubi propterea universaler statuitur: « Quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est. »

37. *Nisi fiat mutatio monetæ ad certum solummodo ac determinatum tempus, vel etiam intrinsece fieret.* — Limitatur autem etiam conclusio primo, si mutatio monetæ non fuerit perpetua, id est sine determinato tempore, sed solummodo ad certum determinatum tempus, Layman, loc. cit. n. 16; Engel, loc.

cit. n. 14, arg. l. *Præta veran*. 63. ad finem ff. *ad L. Falciat.*; secundo limitatur, si mutatio monetæ non fiat a legitima potestate, uti per se patet; tertio, si nomen intrinsece quoque mutetur, juxta dicta supra n. 31.

38. *Si debitor est in culpabili mora solvendi, contingente mutatione monetæ, damnum ad ipsum solum pertinet.* — Resp. VI. Si debitor rite interpellatus, ut solvat, est in culpabili mora solvendi, contingente monetæ mutatione ipse solus damnum sentire debet. Communis ratio est, quia universaliter, « mora cuique sua, non alteri nocere debet. » Reg. 35. jur. in 6. Putat quidem Engel, etiam hic intrare boni viri arbitrium; cum justa causa, v. g. impossibilitas, aut magna difficultas dandi, a mora excuset, l. *Quod te*. 5. ff. *de Rebus credit.* et ibi Glossa, cum Glossa, in cit. regulam *Mora*. Verum hoc extra statum quæstionis, et conclusionis, quæ solum dicit, si debitor est « in culpabili mora » qualis ibi non est, ubi adest justa causa differendi.

39. *Qui factum debet, non satisfacit solvendo æquivalens interesse.* — Resp. VII. Si quis obligatus est ad factum, non satisfacit, loco facti solvendo interesse æquivalens facto debito. Zoesius, ad ff. *de V. O.* n. 53; Konig, h. t. n. 19. et alii contra Harprecht, Ludwel, et communem aliorum. Probatur conclusio ex l. *Stipulationes*. 72. prin. ff. *de V. O.* ibi: « Stipulationes non dividuntur earum rerum, quæ divisionem non recipiunt, veluti viæ, itineris, actus, etc., idem puto, et si quis faciendum aliquid stipulatus sit, veluti fossam fodiri, vel insulam fabricari, vel operas, » etc. Accedit ratio; quia « aliud pro alio, invito creditori solvi non potest, » l. II. § 1. ff. *de Rebus credit.*

40. *Solvitur objectio.* — Objicies cum Adversariis eandem l. *Stipulationes*. 72. ff. *de V. O.* ubi post textum allegatum ita pergit lex: « Celsus tamen, lib. XXXVIII Digestorum, refert Tiberonem existimasse, ubi quid fieri stipulemur, si non fuerit factum, pecuniam dari oportere, ideoque etiam in hoc genere dividi stipulationem, secundum quem Celsus ait posse dici justa æstimatione facti dandum esse petitionem. » Favet etiam lib. XIII. § 1. ff. *de Rebus credit.* cum concordantiis. Resp. subsequentem hunc textum legis stipulationes, sicut et alia jura, solum velle, quod post commissam moram creditor præstationem acceptare non teneatur, sed agere possit ad interesse: vel certe

loqui de casu, quo factum præstari amplius nequit. Et ita respondendo concordantur jura juribus, juxta ordinationem c. *Cum expediat*. 29. *de Elect.* in 6. ibi: « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant evitari. »

41. *Regulariter loquendo, totum, quod debetur, simul et semel solvi debet.* — Quæritur II. Qualiter, seu modo quo fieri debeat solutio? Ante responsionem notandum, tria præcipue ex parte modi solvendi requirere jura. I. Ut totum solvatur. II. Ut debito tempore. III. Ut debito loco solvatur. De singulis singulas ponemus conclusiones. Hinc Resp. I. Regulariter loquendo, obligatur creditor totum, quod debet, simul et semel solvere; nec tenetur creditor solutiones per partes accipere, qua v. g. debitor mille florenos obligatur hodie centum post annum ducentos solvere vellet. Est communis, caretque controversia arg. l. *Tutor*. 41. § 1. ff. *de Usuris*. l. IX. c. h. t. ac l. *Plane*. 3. ff. *Familiæ ereiscundæ*. ubi etiam ratio additur; quia « sæpe et solutio et exactio partium non minima incommoda habent. »

42. *Ponuntur quatuor limitationes.* — Limitatur autem conclusio primo; si creditor solutionem per partes ultro accipiat. In quo casu intelligendus est textus § 1. ad fin. *Instit.* « Quibus modis tollit, obligat. » ibi: « Quod debetur, pro parte recte solvitur; » intellige, si invitus non est creditor: vel certe, si ita conventum, aut debitum per partes contractum est. Nam limitatur conclusio secundo, si specialiter conventum est inter debitorem et creditorem, quod solutio per partes fiat, l. *Arbitraria*. 2. § 4. ff. « de eo, quod certo loco. » Limitatur tertio, si debitum per partes tantum contractum est, quia obligatio eo modo tolli potest, quo contracta est, l. *Nihil*. 35. ff. *de Reg. jur.* Gibal., *de Usur.* l. I. cap. III. art. IV. n. 2. Limitatur quarto, si quis ex diversis causis debita contraxit, v. g. centum et mutuo, viginti ex empto, decem ex locatione, etc., l. I. c. h. t.

43. *Si quis ex pluribus causis debet, et aliquam solutionem faciens non exprimat, quodnam debitum solvere velit, censetur semper, solutum debitum magis onerosum.* — Circa hanc limitationem quartam notandum venit, quod si quis pluribus causis debitor existens, aliquid de suis debitis solvat, in ejus potestate sit, exprimere, quod potius debitum per hanc particularem solutionem solutum velit: quod si vero nihil exprimat, liberum credi-

tori maneat, pro quo debito solutionem acceptam habere velit. Ita expresse habetur l. I. ff. et c. h. t. Additur tamen l. I. ff. h. t. debitore nihil exprimente esse quidem in potestate creditoris, pro quo debito solutionem accipere velit, debere tamen eundem taliter se gerere, ut in id constituat solutum, in quod ipse, si deberet, esset soluturus, ita ut per aliquam partialem solutionem semper intelligatur illud debitum expunctum, quod magis gravat debitorem, eique onerosum magis, vel odiosum est. Ratio additur cit. l. I. ff. h. t. illis verbis: « Æquissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret. » Concordat, l. *In his*. 5. et l. *Cum ex pluribus*. 97. ff. eod. ubi etiam statuitur, quod etsi quis majorem quantitatem pecuniæ solvat, quam aliquod debitum efficit, nihilominus hujusmodi debitum, si magis odiosum est debitori, quia v. g. sub infamia debet, ex toto, et proxime onerosum ex parte censeatur solutum.

44. *Si tamen una cum capitali simul usuras debet, censetur solutæ usuræ; etsi debitor capitale se solvere exprimat.* — Circa usuras tamen speciale quid statuere jura, videlicet, quod si quis una cum capitali simul usuras, aliquot v. g. annorum debeat, et aliquam solutionem præstet, prius censeantur usuræ quam summa capitalis solutæ; nec sit in potestate debitoris, prius capitale quam usuras solvere, licet debitum summæ capitalis sit ei magis onerosum et odiosum, quam usurarum; utpote cum ex illa, non item ex istis de novo iterum dare debeat usuras. Et ita statutum habetur l. *In his*. 5. § 3. ff. h. t. Estque communis inter doctores.

45. *Si conventionem speciali tempus solutioni præfixum est, servari debet. Dies interpellat pro homine.* — Resp. I. Si certum tempus ad solvendum, conventionem speciali præfixum est, a debitore observari debet. Communis ac certa, l. *Solutum*. 85. ff. h. t. ibi: « Solutum solvitur, non minus quantitate quam die. » Ratio est, quia « contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » Reg. 85. jur. in 8. et *Pacta* justa servanda sunt l. *penult. c. de Pactis*. Procedit conclusio, etsi non urgeat solutionem creditor; quia dies interpellat pro eo, c. *fin. de Locat. et conduct.* et ibi Glossa, § *Statuta*, juncta l. *Magnam*. 12. c. *de Contrah. et committ. stipulat.* nec non l. II. c. *de Jure emphyt.* Hinc si ob culpabilem moram determinato tempore solvendi, damnum patiatur creditor,